

4552

2

# QUÆSTIONES POLEMICÆ DE VERBO DEI SCRIPTO, ET NON SCRIPTO

Compendiosa Methodo in commodum Scholæ  
nostræ Augustiniano • Thomisticæ Alumnorum  
concinnatæ, annexisque in fine assertionibus de Incarnatione Verbi,  
Gratia Salvatoris, Justificatione impii, & merito Justi.

*Solemni Disputationi expositæ*

In Ecclesia Aulico-Cæsarea FF. Eremitarum  
Discalceatorum S. P. AUGUSTINI Viennæ Austriæ ad  
D. Virginem Lauretanam.

*Anno Salutis 1761. die Mensis Septembris.*

*P RÆS I D E*

**P. MARTINO à S. CATHARINA,**  
Sac. Ord. Fratrum Eremit. Discalc. S. P. Augustini, SS. Theol.  
Lectore Ordinario.

*D E F E N D E N T I B U S*

**P. SIGISMUNDO à S. CRUCE,**  
*E T*

**P. ONUPHRIUS à S. FELICE,**  
Ejusdem Ordinis & Studii.

---

VIENNÆ AUSTRIÆ, TYPIS GHELENIANIS.

(N=030006694)

DEDICATÆ  
HONORI,  
ET  
CONDIGNÆ VENERATIONI  
*AD MODUM REVERENDI, EXIMII*  
*RELIGIOSISSIMI,*  
*ac in Christo*  
*OBSERVANDISSIMI PATRIS*  
**P. HERMANNI JOSEPHI**  
**à S. HILARIO,**  
Sac. Ordinis FF. Eremitarum Discalceatorum  
S. P. Augustini, SS. Theologiæ, & SS. Canonum  
**LECTORIS EMERITI,**  
*Nec non*  
Provinciæ Germano-Bohemicæ  
**PRIORIS PROVINCIALIS**  
**ACTUALIS DIGNISSIMI, &c.**

**P A T R I S,**  
*ac*  
**SUPERIORIS VENERANDISSIMI.**

# Ad Lectorem benevolum.

Miraberis forsan per amice Lector, dum amplissimam de Verbo Dei Scripto, & non Scripto materialiam paucis hisce pagellis comprehensam ex titulo his præfixo arbitraris, cum tamen vasta volumina haec etenim ubertim edita eandem vix complectantur, & adæquent: Verum mirari desines, si rem exactius inspiciendo adverteris, me tres tantum magis præcipuai interim ex hac materia per ampla delegisse quæstiones, quas in commodum Scholæ nostræ Alumnorum compendiosissima methodo concinnatas Assertionibus Theologicis Dogmatico-Speculativis præmisi. Interim ingenue fateor me nihil eorum, quæ in hisce pagellis contenta sunt, ut novum proprii ingenii partum venditare, sed illa solum in medium adferre, quæ vel à me, vel ab aliis non sine labore, & industria ex aliis probatissimis Authoribus collecta sunt. Brevitati enim consulendum erat, & omnis amplior digressio evitanda, ne à præstituta mihi meta exerrarem. Hæc igitur abunde sufficiunt Scholæ nostræ Alumnis ad Concertationes Scholasticas, in quem solum finem coordinata sunt. Si tibi Lector benevole contra modernos Protestantates antiquorum Sectariorum crambem recoquentes certamen instet, & hæc non arrideant. Alios consule, & Vale.

CON-



# CONTROVERSTIA PRIMA,

*De Verbo DEI scripto, & non scripto.*

**C**irca hanc controversiam errant, & velut in scopulum gravissime impingunt Protestantes, dum Authoritatem omnem attribuentes Verbo DEI scripto, nullam vero Traditionibus, seu Verbo DEI non scripto, ad solam Scripturam confundunt, & provocant: ast hac male intellecta quid nisi meræ illationes malæ subsequantur necesse est? Ex male intellecta Scriptura suos plerumque tuentur errores, & Fidei in Scriptura jacturam faciunt, quam tamen per Scripturam stabilire deberent; scilicet (quod dolendum est) in portu naufragantur. Accedit, quod nihil credendum jactitent, nisi in S. Scriptura expressum, quam secundum quislibet explicat neglecta veterum Doctorum, & Ecclesiæ interpretatione, cum tamen (ut infra demonstrabimus) non omnia in Scriptura contineantur, quæ tamen sub fidem cadunt, ex quo Traditionum, seu Verbi DEI non scripti necessitas luculenter apparebit. Cum igitur existentiam S. Scripturæ (licet ex diverso fundamento, & motivo) contra Libertinos nobiscum Protestantes admittant, solum reliqua, in quibus a nobis dissentiant, examinanda sunt. Sit igitur

hodie dum id clare non perspiciunt, dum alii plures, alii pauciores libros pro Canonicis admittunt, ut patet de Apocal. &c. Non 2dum.; quia illi tituli, seu inscriptiones librorum vel sunt partes libri S. vel non sunt? si sunt, ergo redit quæstio, unde nam constet, eos esse partem libri S. si non sunt, ergo hoc ipso auctoritate infallibili destituuntur ad testificandum aliquem librum esse Verbum DEI. Acredidit, quod etiam multi libri apocryphi præferant titulos Prophetarum, aut Apostolorum, qui tamen nec apud ipsos AA. pro Canonicis habentur, v. g. Evangelium Barnabæ. Non 3tum. Siquidem redit quæstio, unde constet, quod ille liber sit Scriptura S., cuius textus in alio libro citatur. Præterea non allegantur omnia capita, sed tantum unus alterve versiculos, ergo de reliquis manet dubium. Quin imo nonunquam in Scriptura S. citantur Sententiæ Gentilium, quæ certo non sunt Verbum DEI. Non denique 4tum. quia multa in S. Scriptura apparent sibi repugnantia, quæ nos dicemus esse contradictoria, nisi aliunde nobis constaret illa esse Verbum DEI, ut patet Exod. 20. v. 5. & Ezech. 18. v. 20.

Probatur secunda pars: Regula discernendi Scripturam S. a non sacra debet esse certa, & infallibilis, ita ut conscientiæ fidelium per eam reddantur certæ, & securæ, atqui hoc non præstat instinctus ille privatus Spiritus interni, ergo Maj. patet, min. prob. 1mo. non constat, an ille instinctus sit à Spiritu S., an vero a Spiritu maligno, & mendaci, de quo 3. Reg. cap. 22. v. 22. dicitur: *egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum:* ergo 2do. Spiritus ille privatus in diversis hominibus diversus est, ut patet in ipsis Protestantibus, qui inter se dissident circa Canonem S. Scripturæ, sed si hic instinctus esset a Spiritu S., non posset esse in diversis diversus, sed prorsus esset unus, & idem in omnibus, cum Spiritus S. sibi contradicere nequeat, ergo. Præterea AA. ideo admitunt illum instinctum privatum Spiritus interni pro discernenda Scriptura S. a non sacra, quia dicunt hoc contineri in Scriptura, adeoque supponunt illos libros esse sacros, ex quibus id conantur evincere, & ideo volunt aliquem librum esse sacrum, quia hoc ipsis dictat ille instinctus privatus, adeoque manifeste petunt principium: ergo.

Probatur etiam quoad criteria interna: illa criteria interna: pro discernenda Scriptura S. juxta AA. sunt in specie sequentia: 1mo. Ante-

quitas Bibliorum. 2do. Miracula in confirmationem Bibliorum factio. Energia Bibliorum ad permovendos hominum animos. 4to. Sanctitas & Majestas rerum in Bibliis contentarum. 5to. Eventus prædictorum in Scriptura S. contentorum. 6to. Sanctitas Scriptorum. 7mo. Fortitudo Martyrum &c. atqui licet ista enumerata valeat ad confirmandam fidem illorum, qui aliunde jam credunt aliquem librum esse sacrum, non tamen valent ad probandum, eum esse sacram seclusa Traditione Majorum, & Declaratione Ecclesiæ, ergo. Et quidem non valet primum: quia hoc modo AA. nolentes, volentes incidunt in Traditionem; siquidem id aliunde scire nequeunt quod hodierna eorum Biblia sint eadem cum illis primis, nisi per Traditionem Majorum, ergo, dum Traditiones effugere satagunt in Traditiones incidunt. Non 2dum, quia non negamus multa quidem contigisse miracula, quæ S. Scripturæ magnam conciliant thoritatem, sed unde constat AA. hæc miracula in confirmationem Bibliorum facta esse, ac hodierna Biblia esse eadem cum illis, quibuscum hæc miracula facta dicuntur, nisi per Traditionem? ergo. Non 3tum. quia tales motus etiam causari possunt ex aliis libris Christianorum & Ethnicorum: Sicut non pauci lecto Platonis libri de immortalitate animæ ita commoti sunt, ut sibimet necem inferrent, an ideo fuit Verbum DEI? Non 4tum: quia non omnes libri aut saltem capita librorum tractant de rebus sublimibus, & majestuosis, sed saepe de rebus indifferentibus, & in speciem vilibus &c., ita ut nec omnia in sensu litterali accipi possint. Præterquam quod etiam Summa S. Thomæ, Opera S. P Augustini, aliorumque SS. PP. tractent de rebus sublimibus, & tamen propter eas non sunt Scriptura S. prout in præsenti de illa loquimur tanquam Verbo DEI. Non 5tum: tum quia non omnes libri, multo minus omnia capita, & textus præsagiunt futura, siquidem non omnes sunt Prophetici, sed multi historici præterita referentes. Tum etiam quia in libris Sybillarum de Christo multæ prædictiones continebantur, quas rerum eventus comprobavit, nec tamen propterea sunt Verbum DEI. Non 6tum. unde enim AA. certiorantur vel hos libros ab illis conscriptos fuisse, cum plurium librorum author secundarius, & ministerialis ignoretur, licet omnium author primarius, & principalis sit Spiritus S.: aut unde constat AA. Scriptores illos tam sanctam duxisse vitam, nisi ex traditione? Præterea quo-

quorundam Authorum Sanctitas est valde ambigua, ut Salomonis, & tamen ejus scripta sunt oracula, & Verbum DEI. Non denique 7mum: partim quia AA. supponunt talia a Martyribus gesta fuisse, item eadem nunc Biblia extare, pro quibus illi tam fortiter occubuerunt, quorum tamen utrumque non aliunde, nisi ex Traditione habetur: partim quia etiam nonnulli Hæreticorum præsertim Anabaptistæ pro defensione suorum errorum mortem tolerarunt; ergo omnia illa ab AA. assignata criteria interna insufficientia sunt ad discernendam Scripturam S. a non sacra.

Probatur etiam tertia pars: S. P. Augustinus lib. 11. cont. Faustum c. 2. apertissimis verbis confirmat assertionem nostram contra Manichæos admittentes pro libitu scripturas, & præsertim lib. 28. c. 11. ubi ita loquitur: *Sicut ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus, certa præpositorum vestrorum successione ad nostra usque tempora custoditus, & perductus est, sic etiam istum librum credo esse Mathæi, quoniam ex illo tempore, quo Mathæus in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad nostra tempora ita perduxit.* Et lib. cont. Epist. Fundam. c. 5. ait: *Ego non credicerem Evangelio, nisi me commoveret Ecclesiæ Catholicæ auctoritas.* Unde & ipse Lutherus Authoritatem Ecclesiæ hac in re negare non fuit ausus, ita lib. de Captiv. Babyl. Tom. 2. Wittemb. fol. 88. scribens: *hoc sane habet Ecclesia, quod potest discernere Verbum DEI a verbis hominum sicut Augustinus confitetur se Evangelio credidisse motum Authoritate Ecclesiæ, quæ esse Evangelium prædicat, ergo.*

Confirmatur. Ecclesia declarare potest articulos fidei, quinam ut tales sint tenendi, ac credendi; ergo etiam decidere potest, quinam libri pro Verbo DEI scripto sint habendi, conseq. patet. Ant. prob. Ecclesia jam olim obortis dubiis circa legitimum S. Scripturæ sensum, aut fidei articulum potuit decernere, ita ut hujus decreto fideles acquieverint. Sic Anno 258. obortis controversiis circa articulū: utrum hæretici baptizati & ad Ecclesiam Catholicam conversi essent rebaptizandi? Stephanus Romanus Pontifex statuit, & declaravit, illos non esse rebaptizandos, cui declarationi PP. acquieverunt, & in plenario Concilio Nicæno per novam Definitionem hunc fidei articulum stabilierunt, ut testatur S. P. Aug. lib. 1. de Baptismo c. 7. ergo.

Objicies cont. i<sup>mam</sup>. part. I. S. Scriptura est S. Scriptura, ergo verum est libros istos, quos Biblia vocamus, esse SS. Scripturas; quia propositiones istae sunt identicæ. II. Juxta Aristotelem rectum est norma sui, & obliqui, ergo S. Scriptura per se ipsam probatur, & non per aliud. III. Alphonsus de Castro lib. 7. cont. Hæreses ita ait: velle rationibus convincere S. Scripturam esse veracem, tanta mihi videtur dementia, ac si vellet quis rationibus fulcire prima alius cuius scientiæ principia quia omnes velut primum principium hoc credere tenemur, ergo. Reliquæ objectiones in proba solutæ sunt. Igitur.

Resp. ad I. C. A. N. C. Sicut enim non valet: S. Scriptura est S. Scriptura ergo verum est Alcoranum esse S. Scripturam, ita nec valeat prior Scheibleri inepta illatio. ad II. D. A. rectum in genere est norma sui & obliqui C. A. rectum in individuo N. A. & C. Etenim quando dubitatur, num aliquid rectum sit, non per se ipsum, sed per aliud, quod constat esse rectum, dijudicatur, quare unum Verbum DEI confirmatur quidem per aliud, quod constat esse Verbum DEI, non autem per semetipsum, aut aliud æque ignotum. Ad III. D. A. & loquitur de S. Scriptura jam cognita & recepta C. A. & loquitur de S. Scriptura primum cognoscenda, & discernenda a non Sacra N. A. & C. Sacra ergo Scriptura rite intellecta est principium & dementia foret rationibus fulcire velle, quod sit S. Scriptura, non autem posteriori modo, hoc ipso enim, quod nobis non constet, an sit Verbum DEI, per aliud principium innescere nobis debet, quod nos dicimus esse Traditionum Majorum, & Authoritatem Ecclesiæ.

Objicies cont. 2dam part, pro instinctu Spiritus privati L. Internus instinctus Spiritus privati pro discernendis rebus ad fidem pertinentibus promissus est fidelibus a DEO, ergo. A. P. Jer c. 31. v. 33. dicitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam . . . & non docebit ultra vir proximum suum . . . omnes enim cognoscent me &c., ergo II. Isaiæ c. 54. v. 13. ponam universos filios tuos doctos a Domino scilicet per spiritum interius revelantem; ergo. III. Math. 23. v. 8. Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus, qui tanquam Doctor fideles suos interne docet, ergo. IV. Joan. c. 7. v. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex DEO sit: ergo ad discernendum librum sacrum a non sacro non est opus alio magisterio,*

sterio , quam interno Spiritu dilectionis DEI. V. Joan. c. 10. v. 27. oves meæ vocem meam audiunt, atqui hæc vox post Christi ad cælos ascensionem potissimum est interna , ergo. VI. Joan. 14. v. 26. Ille ( Scilicet Spiritus S. ) docebit vos omnia , & suggesteret vobis omnia : & c. 16. v. 13. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem , ergo. VII. Rom. 8. v. 16. ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro , ergo illa Scriptura est Sacra , quam Spiritus internus dictat esse talem. VIII. 1. Cor. c. 2. v. 10. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda DEI , & ibid. v. 15. Spiritualis autem ( homo ) judicat omnia , & ipse a nemine judicatur , ergo. IX. 2. Corinth. c. 3. v. 6. idoneos nos fecit ( DEus ) ministros novi testamenti non littera , sed Spiritu , littera enim occidit , Spiritus autem vivificat scilicet interne animando . & movendo , ergo. X. Joan. 2. v. 27. & non necesse habetis , ut aliquis doceat vos , sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus , ergo. XI. S. P. August. lib. 6. Confess. c. 5. dicit : non audiendos esse eos , qui quærunt unde sciatur illos libros unius DEI Spiritu esse ministratos , siquidem hoc DEus persuadet , ergo. XII. DEus potuit , imo de facto revelavit Prophetis , & aliis necessaria ad salutem per inspirationem internam , ergo.

Respond. ad I. N. A. ad textum Jeremiæ dico : Prophetam per priora verba velle significare gratiam , quam fideles in lege nova accepturi erant , ut non solum mandata DEI scirent , sed etiam facile adimplerent , per posteriora vero significatur præmium fidei scil. beatitudo æterna , in qua beati vident DEum clare prout est in se. Vel etiam intelligendus est de cognitione unius DEI , cuius præser- tim in lege nova non datur ignorantia invincibilis , non autem de quibuscumque mysteriis Scripturæ. Ad II. dico : Prophetam ibi discri- men assignare inter legem novam , & veterem : quod scilicet tem- pore legis Evangelicæ valde liberaliter communicandæ sint internæ illuminationes Spiritus S. , adeoque non tam audituri sint Magistrum exterius docentem , quam potius DEum interius illuminantem , ac excitantem ad facienda ea , quæ audierunt. Ad III. Ibi solum pro- hibetur ambitio , & affectatio ejusmodi honorum. Ad IV. Christum ibi solum innuere probos magis expeditos esse ab illis impedimen- tis , quibus improbi impediuntur ad amplectendam doctrinam Christi , qualia impedimenta sunt amor sæculi , divitiarum &c. ad V. Christus loquitur suis ovibus non tantum per inspirationes internas , & per

se ,

se , sed etiam per alios , præsertim suos in Ecclesia Vicarios , qui audiendo audimus Christum . Certe etiam Protestantes volunt audiri suos prædicantes . Ad VI. D. A. & illa promissio tantum facta est Apostolis tanquam primis Doctoribus totius mundi , quibus Christus specialem Spiritus S. assistentiam promisit C. A. facta cuivis hominum N. A. & C. ad VII. D. A. & loquitur ibi Apostolus de testimonio Spiritus quis sit Filius DEI per filialem affectum , & fiduciam ergo DEum C. A. & loquitur de testimonio Spiritus , quænam sit veritas Scriptura N. A. & C. Quamvis enim hoc testimonium , quis sit Filius DEI per filialem affectum in se , & quatenus a Spiritu S. procedit , sit certissimum , quatenus tamen nobis exhibetur , non est certum nisi certitudine ad summum morali ; unde enim novimus illud Spiritu bono , & non a malo proficiisci . Ad VIII. SS. PP. per Spiritum omnia scrutantem non intelligunt Spiritum privatum AA. sed ipsummet Spiritum S. , qui non omnia sua secreta omnibus communicat , nec ullus certus est se eundem habere . Spiritualis autem homo dicitur omnia judicare hoc est , prudenter ponderare , antequam de aliquo statuat , & sic deinde a nemine judicatur , seu condemnatur , utpote agens secundum prudens dictamen conscientiae . Ad XI. dico : Apostolum solum indicare , quod ministri in Ecclesia novi testamenti non proponant nudam litteram sicut in lege veteri , sed etiam afferant spiritum , seu gratiam , quam Deus auditis prædicationibus solet fidelium mentibus per internas inspirationes , & impulsus immittere ; unde nomine litteræ ibi intelligit legem veterem , quæ multitudine , & difficultate præceptorum occasionaliter occidit , dum non assert etiam auxilia ad illa adimplenda , Spiritus autem seu gratia lex gratiæ vivificat , quia vitam spiritualem afferendo animæ eius vires ad implenda præcepta subministrat . Ad X. Joannes ibi loquitur de illis dogmatibus , quæ fideles illius temporis ab Apostolis jam acceperant , & admonet ut illa constanter retineant nullam alias Pseudo - Doctorum erroneam doctrinam admittentes . Ad XI. S. P. Augustinus non loquitur de libris SS. nude secundum se spectatis , sed de jami approbatis , & receptis per Traditionem , & auctoritatem Ecclesiæ , qua traditione , si quis non esset contentus , & alias evidentes rationes exigeret ( prout olim factitabant Manichæi , & hodierni Protestantes ) omnino audiendus non esset . Ad XII. dico Deus quidem ita posse facere , interim cum plane constet : quod

DEus promiscue omnibus ejusmodi internas revelationes hodie non faciat, & aliunde fideles suos jubeat audire Ecclesiam, ad hujus judicium pro decidendis quæstionibus fidei est recurrendum.

Objic. cont. 3tiam part. I. Joan. c. 5. v. 34. dicitur : *ego autem non ab homine testimonium accipio*; sed Pontifex, & Concilii Patres, qui Ecclesiam repræsentant, homines sunt, ergo non possunt testimonium dare, seu judicare de Verbo DEI. II. Ibidem v. 39, dicitur : *Scrutamini scripturas illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*, ergo ex ipsa Scriptura, & non ex Traditione Ecclesiæ discerni debet liber sacer a non sacro. III. Eph. 2. v. 19. *estis cives Sanctorum, & Domestici DEI, superaedificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, atqui hoc in præsenti esset falsum; siquidem tali modo fundamentum Catholicorum esset Ecclesiæ Authoritas, & Traditio, cujus decisioni inniterentur scripta Prophetarum, & Apostolorum, tanquam Canonica, ergo. IV. 2. Petri c. 1. v. 19. & habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, ergo non est attendenda Authoritas Ecclesiæ. V. Isaiæ 8. v. 19. *Nunquid non populus a DEO suo requiret pro vivis a mortuis? ad legem magis, & ad testimonium*, ergo. VI. S. P. August. lib. 4. de nuptiis, & concupiscentia c. 13. ait : *hæc controversia judicem requirit, judicet ergo Christus, judicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo loquitur Christus*, ergo. VII. S. Basilius Epist. ad Eustachium inquit. *Scriptura divinitus inspirata inter nos arbiter est, & judex, & apud quos inveniantur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia*, ergo. VIII. Scriptura est prior, quam Ecclesia, siquidem ista est fundata supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, seu supra eorum scripta, ergo. IX. Si authoritas Ecclesiæ tribueret autoritatem Scripturæ, tunc sequeretur Ecclesiam esse supra Scripturam, sed hoc est absurdum, ergo. X. Si authoritas Ecclesiæ determinat Scripturam, tunc Ecclesia prius scire debuit, quinam sint libri sacri, ergo vel scivit ex Scriptura, vel ex aliis mediis, non primum ut fatentur Catholici, ergo Secundum, ergo ex iisdem mediis id etiam alii scire possunt, adeoque non requiritur Authoritas Ecclesiæ. XI. Catholici ideo credunt hunc, vel illum librum esse Scripturam S. quia id determinavit authoritas Ecclesiæ, & vicissim ideo credunt authoritati Ecclesiæ, quia id habent

ex authoritate Scripturæ, ergo ambulant in circulo. XII. Dum S. P. Aug. dicit: se non crediturum Evangelio nisi ad hoc eum commoveret authoritas Ecclesiæ, non respexit ad Ecclesiam modernam Romanam, sed ad primam Ecclesiam, ergo. XIII. Catholici ipsi met probant libros esse sacros ex miraculis, harmonia, fortitudine Martyrum &c. ergo. XIV. Illi libri de quorum authoritate aliquando fuit dubitatum vel erant jam sacri ante decisionem Ecclesiæ post factam, vel non erant? Si erant, ergo eorum authoritas non habetur ab Ecclesia; si non erant, ergo Ecclesia non potuit facere Sacros ex non Sacris, ergo.

Resp. ad I. explic. text. sub dist. ab homine testimonium fundatum mere in authoritate humana C. fundatum in Authoritate Divina N. M. & C. m. N. C. Accedit, quod licet Scriptura per se, & in se non indigeat testimonio Ecclesiæ, & respectu Apostolorum, & Prophetarum, quibus primo, & immediate dictata est, indiget tamen propter nos, quibus solum mediate, & per prædicationem ministrorum innotescit. Ad II. explico I. m. part. Text. sub Dist. Scrutamini Scripturas de quibus per determinationem Ecclesiæ certo constat, quod sint Verbum DEI C. secus N. Similiter D. 2dam. part. quæ testimonium perhibent in suo genere, scilicet tanquam regula inanimata, & ut continens in se divinum testimonium C. A. tanquam judex, & ut per se omnes res fidei explicans N. A. & C. nos Catholici non negamus in Scripturis S. contineri divinum testimonium, sed solum desideramus, ut nobis prius ab AA. in eorum principiis ostendatur, quænam sint veræ Scripturæ S.? Paritatem habeto in lege Principis, quæ quidem etiam judicat, non tamen per modum Judicis, sed per modum juris: ita etiam Scriptura judicat tanquam regula, quæ tamen opus habet demonstrante extrinseco, ut de illius veritate legitime constet. Ad III. D. M. supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum tanquam fundamentum primarium, quod admittit, imo requirit adhuc etiam fundamentum secundarium scilicet etiam testificationem Ecclesiæ C. secus N. & hæc distinctio necessario admitti debet, alias sequeretur nec Apostolos esse fundamentum, cum Christus I. Cor. c. 3. dicatur fundamentum, supra quod ædificari debemus. Ad IV. D. A. Cui ut jam proposito, & declarato ab Ecclesia benefacitis attentes C. secus N. Ad V. ibi solum prohibetur recursus ad incantatores & pythones, jubenturque Judæi recurrere ad legem tanquam

quam continentem jus , non tamen tanquam ad judicem occurren-  
tium circa eam difficultatum. Ad VI. D. A. Judicet Christus tan-  
quam judex principalis & sine exclusione judicis Vicarii , qui est  
Ecclesia & illius caput visible C. secus N. Sicut enim judicante Pro-  
rege dicitur judicare Rex , ita judicante Ecclesia dicitur judicare Chri-  
stus , & quidem principaliter , illa vero ministerialiter , & partici-  
pative. Ad VII. D. A. arbitr̄ est , & judex per modum juris , aut  
legis C. per modum sententiam ferentis N. semper enim redit quæ-  
stio , quod prius ostendi debeat , quænam sit vera Scriptura. Ad  
VIII. N. A. Ecclesia enim totaliter accepta prior fuit quam Scriptura ,  
quæ primo sub Moyse incepit : Si autem specialiter intelligatur Ec-  
clesia Christiana , dico illius fundamentum esse Apostolos non qua-  
scribentes ( siquidem plures nihil scripserunt ) sed qua primos cre-  
dentes , & prædicatores , quæ Ecclesia stetisset , si solæ traditiones  
fuissent , & nullus Apostolorum quidquam scripsisset. Ad IX. D. se-  
quelam M. si tribueret authoritatem antea non præhabitam conferen-  
do C. si tribuat tantum notam faciendo , & solum determinando ,  
qui sint libri sacri N. Ecclesia ergo non format novos libros cano-  
nicos , prout calumniantur AA. sed solum determinat libros sacros ,  
de quorum Authoritate erat controversum. Ad X. dico , quod Ec-  
clesia recentior id sciat ex Traditione Ecclesiæ primitivæ , ista vero  
a Prophetis , & hi immediate a DEO ; quia vero nos Prophetas , &  
Apostolos ita præsentes non habemus , etiam non possumus talibus  
indiciis uti , sed Traditioni credendum est per præsentem Ecclesiam  
propositæ. Ad XI. quod nullus committatur circulus vitiosus : tum  
quia Catholici præter authoritatem Ecclesiæ , etiam ad hoc requirunt  
Traditiones , ad quas admittendas , & credendas , sicut etiam ad  
Verbum DEI scriptum inducuntur motivis communib⁹ evidentis  
credibilitatis : tum etiam , quia licet authoritatem Ecclesiæ probent  
per Scripturam , quam Ecclesia proponit , & acceptat ; attamen Scriptu-  
ra , & Ecclesia habent se in diverso genere causæ : scilicet Ecclesia  
in genere ministeriali , & in proponendo , Scriptura vero in genere  
formali & in testificando ; Ratio vero formalis credendi semper est  
unica , scilicet quia Deus dixit , nec ista reducitur ad aliam. Ad  
XII. N. A. non minus enim est infallibilis præsentis Ecclesiæ authori-  
tas , quam veteris , utraque enim est columna , & firmamentum ve-  
ritatis . 1. Timoth. c. 3. v. 15. si ergo veteris Ecclesiæ Traditio , &

testificatio de libris sacris sicut infallibilis, cur non & Ecclesiæ praesentis? quare dicit S. P. August. lib. 33. c. 6. Cont. Faustum, quare si queratur a nobis, unde sciamus Apostolorum istas esse litteras, breviter respondemus ex fundatissima Ecclesiæ testificatione a temporibus Apostolorum usque ad hæc tempora certis successionibus producta. Ad XIII. D. A. probant etiam ex miraculis &c. juncta Traditione, & authoritate Ecclesiæ C. tantum ex miraculis, & cum exclusione traditionum N. A. & C. licet enim illa enumerata ad probandum Canonem Scripturarum assumi possint, attamen sola per se non sufficiunt, respectu hujus temporis, & personarum sine Traditione Ecclesiæ, cum nos illa miracula non viderimus, nec aliunde sciamus; nostra Biblia esse eadem cum illis, quibuscum dicta miracula converunt, quam ex Traditione. Ad ultimum dico fuisse quidem sacros quoad se, non tamen quoad fideles, quibus id tunc nondum determinate constabat, sed primo post factam determinationem ab Ecclesia. Unde etiam Ecclesia illis autoritatem non contulit, ut pote, quam jam habebant, sed tantum eam declaravit, & notam fecit. Ex his

Colliges: Analysis fidei Catholicorum de SS. Scripturis hanc esse; credo his Scripturis ut Divinis, seu ut Verbo DEI, quia Deus hoc hominibus revelavit, scio autem Deum non posse falli, cum sit summa sapientia, neque velle homines fallere, cum sit summa bonitas. Si petas, unde mihi constet, Deum hoc revelasse? R. hoc constare ex authoritate Ecclesiæ Catholicæ, quæ est fidelissima custos Verbi DEI tum scripti, tum traditi: si quæras unde hoc mihi constet hanc esse veram Ecclesiam DEI? R. id constare certitudine moralis maxima ex quatuor notis characteristicis, quibus insignita est, scilicet quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. At petes, unde constet Ecclesiam in proponendis Scripturis tanquam divinis non errasse, sed habere autoritatem infallibilem? R. id constare ex motivis credibilitatis jam commemoratis, ubi ut patet, nullus interuenit circulus vitiosus; hoc enim criterio Ecclesiæ Catholicæ ipsi A. usi sunt; nam Calvinist. Remonst. Confess. c. 1, num. 8. dicunt, Ecclesia primitiva indubie rescivit libros istos ab Apostolis scriptos esse, vel saltem approbatos, nobisque illius rei scientiam, quam per manus tradidit, ac veluti depositum quoddam reliquit. Et Simon Episcopus Calvinist. l. 4. Sect. 1. c. 5. ait: patet ineptos esse eos, qui vel

qui vel præter, vel citra testimoniū Ecclesiæ requiri ajunt Spiritus S. testimonium ad hoc, ut libros hos Divinos esse intelligamus.

## Quæstio secunda.

### *Quinam Libri sunt Canonici?*

PRænotandum: Vocem Canon esse græcam, & latine idem significare ac regulam, vel etiam Catalogum quarundam rerum, adeoque dum quæritur quinam libri sint Canonici? sensus est, quinam sint illi libri, quos in Catalogum librorum sacrorum relatos credere debeamus, & tanquam regulam, & normam fidei, ac morum sequi teneamur? unde fieri potest, quod aliquis liber revera sit Verbum DEI, qui tamen defacto pro tali non agnoscatur, adeoque non sit Canonicus saltem quoad nos, utpote nondum receptus, sicut olim de quibusdam dubitatum fuit inter Patres, & hodieum dubitatur de Libro 3<sup>to</sup>. & 4<sup>to</sup>. Esdræ &c. Illi libri, quorum authoritas nunquam fuit dubia, vocantur Proto-Canonici, id est Primo-Canonici, sive primi ordinis, quia de illorum authoritate nulla fuit unquam in Ecclesia dubitatio, sed statim ab initio nascentis Ecclesiæ, communii omnium Orthodoxorum Patrum consensu fuerunt recepti: quales sunt in Testamento Veteri: Pentateuchus Moysis, & in Novo quatuor Evangelia, aliique his similes. Deutero-Canonici, seu secundi Ordinis sunt illi, de quibus anceps etiam inter Catholicos aliquando fuit sententia, decursu tamen temporis ad totius Ecclesiæ notitiam pervenit illos fuisse a DEO dictatos: & sunt ex Veteri Testamento septem videlicet. Tobias, Judith, Baruch, Jeremiæ Epistola, Sapientia, Ecclesiasticus. Ex Daniele Oratio Azariae, Hymnus trium puerorum, Susannæ, & Belis historia. Machabæorum primus, & secundus. Ex Novo Testamento Marci Caput ultimum. Lucæ 21<sup>mum</sup> de Agonia Christi. Joan. 8<sup>vo</sup>. historia adulteræ. Epistolæ: Pauli ad Hebræos. Jacobi. Petri secunda. Joannis 2<sup>da</sup>, & 3<sup>tia</sup>. Iudæ. Apocalypsis: quorum plures, vel pauciores ex Canone librorum sacrorum Protestantes pro libitu expungunt. Sed contra eos ad quæstionem.

Respondeo: Canonem S. Scripturæ constituunt libri septuaginta duo: videlicet antiqui Testamenti quadraginta quinque sequentes: Genesis. Exodus. Leviticus. Numeri. Deuteronomium. Josue. Ju-

dices. Quatuor libri Regum. Duo Paralipomenon. Duo Esdræ. Tobias. Judith. Esther. Job. Psalterium. Proverbia. Ecclesiastes. Cantica. Sapientia. Ecclesiasticus. Quatuor Prophetæ maiores. Baruch. duodecim Prophetæ minores, & duo libri Machabæorum. Novi au- tem Testamenti viginti septem sequentes: Quatuor Evangelia. Actus Apostolorum. Quatuordecim Epistolæ Pauli. Tres Joannis. Duo Petri. Una Jacobi. Una Judæ, & Apocalypsis S. Joannis. Quibus suo ordine enumeratis prosequitur S. Concilium Tridentinum: si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclæsia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione ha- bentur, pro sacris, & Canonicis non suscepereit, Anathema sit. Pro memoriæ autem adjumento non injucundum lectori futurum spe- ramus, si omnes hos libros versibus comprehensos subjiciamus.

### *Veteris Testamenti.*

Genesis. Exo. Levi. Numerorum. Deuteronomi. Josue. Judiciique liber. Ruth. bis duo Regum. Bis Paralip. Esdræ duo. Tobias. Judith. Esther. Job. Psalmique David. Proverbia, & Ecclesiastes. Cantica, tum sapiens. Post Ecclesiasticus adfīt. Isaias. Jeremi. Threni. Baruch. Ezechielque. Daniel. Oseas. Joel. Amos. Atque Abedias. Jonas. Michæasque. Nahum. Habacuc. Sophonias. Aggæus. Zachari. Malachias cum Machabæis.

### *Novi Testamenti.*

Matthæus. Marcus. Lucas. Sanctusque Joannes. Actus. Roma. Corinthus. Et ad Galatas. Ephesumque. D'inde Philippenses. Colosenses. Thesalonicæ. Timothei geminæ. Titi una. Philemon. Hebræus. Jacobi una. Petri binæ, ternæque Joannis. Una Judæ. Numerus concluditur Apocalypsi.

Canonem hunc acceperunt PP. Concilii Tridentini per Traditionem a Concilio Florentino sub Eugenio Papa, prout ostendit Caranza in summa Conciliorum; Concilium autem Florentinum accepit eum a Concilio Romano sub Gelasio Papa, ut patet ex Tomo 2do. Con- ciliorum in Decretis Gelasii circa finem: & rursus Gelasius eum ac- cepit a S. P. Augustino ex lib. 2do, de Doctr. Christ. c. 8. S. P. Au-

August. vero accepit a Concilio Carthaginensi, quod alii quintum, alii sextum appellant. Denique PP. Concilii hujus Carthaginensis eum acceperunt ab Innocentio I. Papa Epist. 3tia. ad Exuperium sub Annum Christi 402., a quo tempore primitivæ Ecclesiæ Canon iste per continuam Traditionem usque ad hæc nostra tempora apud Catholicos perseverat, ac proinde non est factus ex mero arbitrio Concilii Tridentini, prout AA. falso calumniantur.

Prob. autem Responsio 1mo. ex antiquo Testamento. Non minus sollicitus fuit Christus, ut de controversiarum fidei judice suæ provideret Ecclesiæ, quam olim Moyses Synagogæ dicens Deuteron. c. 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem &c.*, ergo sicut Synagogæ hic generalis judex statuit pro dirimendis legis quæstionibus, sic Christus pro rebus fidei in lege Nova constituit suum Vicarium, D. Petri Successorem legitimum, cui in Persona Petri dixit Lucæ 22. v. 32. *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* & Math. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, ergo.*

Prob. 2do. ex novo Testamento: Actorum 15. cum orta esset gravis quæstio de fide, an servanda esset lex Mosaica a gentibus conversis, nullus fuit remissus ad Spiritum suum privatum, sed ad Concilium Jerosolymæ habitum, cui præerat Petrus, in quo omnium primus locutus fuit Petrus & Jacobus Sententiam Petri confirmavit, ac sic quæstio soluta fuit illis verbis. *Visum fuit Spiritui S. & nobis, ex quibus clare patet Sententiam Concilii, cui præfuit Petrus, Sententiam esse Spiritus S. ergo.*

Prob. etiam 3tio. Ratione: quamvis aliquem librum esse sacrum, & DEO principali Authore conscriptum non dependeat quoad se ab acceptatione, vel declaratione Ecclesiæ (non enim ideo Scriptura est a DEO, quia Ecclesia dicit, sed ideo Ecclesia dicit, quia revera est a DEO; sicut non ideo quis sanctus est, quia Ecclesia canonizat, sed ideo canonizatur, quia revera est sanctus) nihilo-

minus tamen quoad nos requiritur declaratio Ecclesiæ ; non enim aliter possumus certo cognoscere Scripturam esse sacram , vel non esse sacram , hos libros esse Canonicos , vel non esse Canonicos , nisi hoc aliqua visibili , & infallibili regula declaretur , sed talis Regula nequit esse alia , quam Ecclesia , præcipue in Concilio cum suo Capite congregata , prout alibi latius probabitur ; ergo

Objic. I mo. Protestantes contra Canonem ab Ecclesia Romano-Catholica receptum , & supra a nobis allatum , quem oppugnant generatim his fere argumentis : I. Judæis credita sunt eloquia DEI , sed non omnes libri antiqui Testamenti recensiti a Tridentino fuerunt a Judæis agniti pro Canonicis , ut constat de libris Tobiae , Iudith , Sapientiæ &c. ergo. II. Christus nuspianam reprehendit Judæos , quod non reciperent prædictos libros tanquam Verbum DEI , quod tamen certò fecisset , si fuissent Canonici , utpote cum hoc ad salutem necessarium fuisset. Ergo. III. Christus Lucæ c. 24. v. 44. totum Vetus Testamentum distinxit in legem Moysis , Prophetas , & Psalmos , sed libri Deutero-Canonici nec pertinent ad legem , nec ad Prophetas , nec ad Psalmos , ergo. IV. libri antiqui Testamenti passim citantur a Christo , & Apostolis , sed libri Deutero-Canonici nuspianam ab illis citantur , ergo. V. 2. Petri c. 1. v. 20. tota Scriptura veteris Testamenti vocatur Prophetia , sed libri Deutero-Canonici non sunt tales , ergo. VI. Multi Catholicorum præsertim PP. aliqui Laodiceni Concilii , item Origenes , Cyrillus , Hierosol. Athanasius , Hieronymus &c. excluderunt plures libros supra enumeratos a Canone , ergo. VII. Libri antiqui Testamenti sunt scripti linqua Hebraica , vel Chaldaica , siquidem hæ linquæ tunc vulgares erant apud Judæos , sed enumerati libri græce conscripti sunt ergo. VIII. Illud Concilium Carthaginense , cui S. P. Augustin. interfuisse dicitur , erat tantum Provinciale , adeoque fallibile , imo defacto erravit Can. 47. ubi definiens numerum SS. Librorum facit mentionem Bonifacii Papæ , qui tamen multo post hoc Concilium fuit electus , ergo ex eo non probatur Canon SS. Librorum. IX. Istud Concilium nec recipitur ab ipsis Catholicis siquidem Can. 26. vetat primæ Sedis Episcopum vocari Principem Sacerdotum , quod tamen Catholici concedunt Papæ , ergo. X. Si Consilium Carthaginense vere agnosceret omnes hos libros pro Canonicis , contradiceret Laodiceno , quod eos pro talibus non agnoscit , ergo. XI. Etiam lib.

lib. 3<sup>ius</sup>. & 4<sup>us</sup>. Esdræ &c. citantur à PP. & vocantur sacri, Divini, Canonici, ergo. XII. Tempore S. P. Augustini & Hieronymi neandum erat quid definitum ab aliquo Concilio generali de illis libris, ergo.

Respondeo ad I. quærendo ex AA. unde illis constet hos libros esse rejectos a Judæis, nisi ex Traditione? ergo dum Traditionem refugiunt, in illam incidunt; dico itaque primo C. M. D. m. non fuerunt agniti pro Canonicis a Judæis negative se circa illos habendo C. m. eos positive reprobando N. m. & C. hæc enim diversa sunt non habentur, vel tacentur in Canone Judæorum, ergo rejiciuntur a Judæis tanquam non fint Verbum DEI: quæ illatio? 2do R. illum Canonem ab AA. allegatum non esse Hebræorum antiquorum, sed a recentioribus Judæis confectum post Christum natum: antiquis quidem Judæis fuerunt eloquia DEI, & S. Scriptura concredita, ut illam posteritati transmitterent, attamen nescierunt omnes illos libros esse Verbum DEI, sicuti sæpe Domini suis famulis sarcinas committunt, non indicantes, quid intus lateat. Ad II. R. non omnia a Christo dicta, & gesta sunt scriptis consignata ut patet ex Joan. c. 21. v. 22. Præterea Christus non reprehendit omnes errores Judæorum, qui salutis eorum non obstabant, uti erat, si aliquem librum pro Canonicō non agnoscerent, sed respectu illius negative se haberent. Ad III. D. A. & Christus loco cit. non facit adæquatam Scripturæ divisionem C. & facit adæquatam divisionem N. A. & C. Christus enim tantum pro exemplis aliquos allegat libros, quinimo dicti libri pertinent ad Prophetas saltem in latiori acceptione. Ad IV. D. A. Libri aliqui C. A. omnes N. A. præterea non citantur ab ipsis integri libri, aut capita, sed tantum aliqui versiculi, quapropter si argumentum AA. alicujus esset roboris, sequeretur, reliquos non esse Canonicos. Ad V. D. M. ab aliquo Prophetā vel futura prædicente, vel quæcunque arcana Divina annuntiante C. M. rāntum futura prædicente N. M. & sic D. mi. N. C. nam etiam ille dicitur Prophetā saltem late, qui ex singulari assentia Divina aliquid extraordinarium dicit, aut facit. Ad VI. Canonem nunc receptum tempore illorum Patrum nondum fuisse ab Ecclesia definitum, quapropter potuerunt de quibusdam dubitare, & determinationem Ecclesiæ expectare, qua facta sententiam mutarunt, ut patet in S. Hieronymo, qui se ex definitione Nicænæ Synodi librum Judith ut Canonicum amplecti profitetur. Ad VII. vel N. M. quia

id non verificatur de omnibus, ut patet de libro Sapientiae, Cant. c. &c. vel permissa M. dico etiam illos libros potuisse primum conscriptos fuisse Hebraice, vel Chaldaice, & ab aliquo potuisse in grecum transferri. Ad VIII. D. A. erat tantum Provinciale, attamen approbatum & receptum ab Ecclesia C. non approbatum N. A. & C. profecto Synodus Tridentina sanciendo statuit sub anathemate illum Canonem esse ab omnibus recipiendum, ut supra vidimus. Mentio autem Bonifacii facta est per incuriam librariorum, qui Canones ex Concilio Cathag. 3<sup>to</sup> sub Bonifacio celebrato ad 2<sup>dum</sup> transportarunt. Ad IX. N. A. & D. causalem. Primae Sedis Episcopum particularis Ecclesiae in Africa C. Episcopum Universalis Ecclesiae, qualis est Episcopus Romanus N. Ad X. N. A. ad causalem dico: Concilium Laodicenum illos libros positive non rejicere, sed tantum negative se habere omittendo illos, adeoque ei non contradicit Carthaginense. Adde Concilium Laodicenum fuisse tantum particolare, nec a Pontifice, aut Concilio aliquo generali approbatum. Ad XI. Illa citatio PP. est tantum aliqua honorifica nuncupatio, quae non sufficit ad declarandum aliquem librum esse Canonicum, nisi accedat authoritas Ecclesiae. Ad XII. C. A. N. C. quia Ecclesiae tunc non erat satis exploratum de Authoritate illorum librorum, adeoque tunc noluit adhuc definitio- nem facere quam tamen postea fecit. Si quæras, quare prius non fuerit Definitio ab Ecclesia facta? R. quia spiritus S. non omnia simul revelat, sed successive, ideoque promittitur, quod omnibus diebus usque ad consumationem saeculi illi assistet, ut successive illam magis illuminet; habet enim se Ecclesia velut *aurora consurgens* Cant. 6. v. 9. quae non pleno statim lumine fulget, sed successive augescit, & crescit in lumine, & fulgore.

Objic. 2do. Protestantes, & quidem in specie ac nominatim ex Ecclesiastico S. Scripturæ Canone rejiciunt: Primo Librum Tobiae, quare dicunt I. Innocentius I. Papa hunc librum Canoni Ecclesiastico non inserit, sed præterit; imo S. Hieronymus in Prol. Gal. aperte a Canone rejicit: dicit enim: *Tobias, & Pastor non sunt in Canone:* ne quis vero existimet ajunt ipsum de solo Judæorum Canone esse locutum, in quo juxta eundem viginti duo tantum libri continebantur: Præfat. in Proverb. ait: *sicut ergo Judith, & Tobiae &c. libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit,* sic & hæc duo volumina (scilicet Ecclesiastici, & Sapientiae) legit in edi-

*ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam, ergo II. hic liber continet antilogias & contradictiones Spiritu S. indignas, etenim c. 3. v. 7. dicitur : Saram Raguelis filiam, quam Junior Tobias sibi desponderat, habitasse in Rages Civitate Medorum, & tamen Tobias appulsus ad locum, ubi habitabat Sara rogarat Raphaëlem, quem hominem putabat, ut iret ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, & reddens ei chirographum suum reciperebat ab eo pecunias, ita c. 9. v. 3. quomodo Tobias mittit Angelum in Rages, si manens cum Sara erat in Rages? III. Raphael c. 6. v. 3. Hepati alicujus piscis tribuit vim ejiciendi dæmonia, contra illud Christi Math. 17. v. 20. hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejuniū, ergo. IV. c. 5. Raphael Angelus affirmat se esse ex filiis Israel, ex tribu Nephtali, fratrem Gabeli, apud eum mansisse, ambulasse frequenter per regionem Medorum, Nomen sibi esse Azariam Ananiae Magni filium, sed hæc omnia sunt mendacia, Angelo indigna, ergo liber Tobiæ non est Canonicus.*

R. ad I. N. A. quoad 1. part. contrarium enim constat ex Epistola Innocentii ad Exuperium data : quoad 2dam part. ad Authoritatem S. Hieronymi dico eum solum velle librum Tobiæ non esse Proto-Canonicum, & primi ordinis, sed Deutero-Canonicum & secundi ordinis sicut & alii ab ipso recensiti. Ad II. R. vel duas in Media fuisse civitates nomine Rages : vel quod probabilius videtur, Saræ domum fuisse non in Civitate Rages, sed in suburbis, vel in agro vicino, & ideo bene dici potuisse cap. 3. Saræ paternam domum in Rages fuisse, dicunt enim habitare Romæ, qui Tusculi, vel alibi in agro vicino habitat. Ad III. dico. Nec cor piscis, nec orationem & jejuniū natura sua expellere dæmones, sed ut instrumenta a Deo assumpta, sicut ergo DEUS tempore Tobiæ voluit uti corde piscis, sic a tempore Apostolorum oratione & jejunio : ita fere Tirinus. Ad IV. dico illa non falso, & mendaciter dicta fuisse ab Angelo, sed veraciter, non quidem spectato cortice litteræ, sed mystico sensu ; cum enim Raphael tribui Nephtali custodiendæ specialiter fuerit deputatus, dicere potuit se esse ex tribu Nephtali Israelitam ; custodia nempe & protectione, non vero genere, & propterea Gabeli fratrem, & apud illum mansisse, tum quia omnes Contribules vocabantur fratres, tum etiam quia homines & Angeli dici possunt quodammodo fratres vel natura cum eundem habeant conditorem DEUM, cuius dicuntur filii Job 1. : vel

& ma-

& maxime per gratiam, sicut filii DEI hoc modo sunt & homines, qua ratione dicere se potuit Ananiæ filium, cum Ananias idem sonet, ac DEI gratia. Cum autem Azarias idem sit, ac DEI auxilium, & Raphael DEC jubente auxiliator fuerit utrique Tobiae, se esse Azariam dicere potuit absque mendacio.

Secundo rejiciunt librum *Judith* & dicunt I. tota ista historia ex Chronologia convincitur esse conficta. ergo II. Judith tanquam püissima fæmina in hoc libro laudatur, cum tamen mendacia aperta obtruserit Assyriis nempe scire se Judæos in Manus Assyriorum venturos, Holoserni se monstraturam aditum ad urbem capiendam &c. ergo III. Eadem mulier c. 9. v. 2. laudat homicidium Simeonis Gen. 49. v. 5. perpetratum: ergo. R. ad I. historiam hanc accidisse non post celebrem illam septuagenariam captivitatem tempore Joachim, & Sedeciae, sed post aliam priorem, & minorem anno circiter decimo Manassis Regis, ut cum multis aliis probat Tirinus in Chronico c. 33. quare negatur, historiam istam esse confictam. Ad II. dico cum S. P. N. August. Juditham prudenter usam fuisse æquivocatione ad hostem fallendum; nam scivit via naturali & ordinaria Judæos tradendos esse Assyriis, nisi Deus extraordinarie succurrat, ostendit quoque Holoserni urbis aditum, & per medium urbem introduxit, cum caput ejus a Cervice resectum triumphans intulit. Ad III. dico non Simeonem sed DEUM laudatum fuisse à Judith, qui permittendo hanc cædem ostendit se vindicem impunitatis.

Tertio rejiciunt *septem ultima capita libri Esther*, & dicunt I. hæc septem capita non extant in Hebræo, ergo II. eadem septem capita frustra repetunt, quæ in superioribus capitibus dicta fuerunt: ergo. III. falso in illis asseritur Aman Macedonem occiso Rege Persarum regnum ad Macedonas transferre attentasse; quo pacto enim id fieri potuisset ab homine inermi, viribus & copiis destituto, ergo. IV. quædam in iis apparent contradictiones, ergo. R. ad I. licet jam græce extant, fuisse tamen primitus hebraice conscripta, uti colligitur ex Josepho, qui cum lib. 10. Antiq. c. 22. protestatus fuisset se tantum hebraica volumina in græcum translaturum, lib. 11. c. 6. Epistolas Assueri in illis capitibus comprehensas recenset. Fertur etiam Bononiæ in Conventu RR. PP. Augustinianorum assevari membranam more pri-  
aco involutam ubi hæc capita hebraice scripta reperiuntur. Ad II. R.  
videri illa esse alterius authoris, quam priora, unde non mirum, ea-

eadem repetuntur, cum etiam Evangelittæ sæpius ab aliis dicta reperiant. Ad III. dico: Aman habuisse conspirationem clandestinam cum Macedonianis, quorum auxilio nixus potuit hoc præsumere, aut affectare, utpote & ipse Macedo. Dices Aman non fuit Macedonianus, sed Agagianus, ergo & hic errat liber Esther. R. utrumque fuit, & Macedonianus, & Agaganianus; Macedonii enim teste Serrario ortum suum duxerunt ex Regione Amalecitarum, quorum Rex fuit Agag; hinc origine remote potest Agagianus dici. Ad IV. R. contradictionibus occurrere omnes Catholicos S. Scripturæ interpretes distinguendo pulchre tempora, & res, quos proinde consule.

Quarto: Eliminant librum Sapientiæ asserentes eundem falso attribui Salomoni, quem ejus authorem non fuisse etiam nonnulli Catholici cum S. Hieronymo fatentur. R. velle quidem nonnullos librum hunc adscribi solum Salomoni, eo quod alius quisquam ejus sapienter dicta collegerit, probabilius tamen videtur, ipsummet Salomonem hujus scriptorem esse; etenim c. 9. v. 7. ait: tu elegisti me Regem populo tuo, & dixisti ad me ædificare templum nomini sancto tuo. Ista sentiunt plures SS. PP. e quibus Isidorus lib. 1. de offic. Ecclesiast. ait: prædictum librum olim Judæos pro Canonicō habuisse, sed post Christi necem, cum viderent scelus suum in Christo crucifigendo commissum, cap. 2. illius libri tam clare depictum, ex canone resecuisse.

Quinto: Ecclesiasticum. Hic liber c. 36. absurdam historiam Samuelis per incantationem mulieris evocati narrat, ergo non est Canonicus. R. Samuelem DEI virtute adductum fuisse non in favorem magiæ, sed in odium Saulis, ut exitium sibi imminens intelligeret.

Sexto: Prophetiam Baruch. Antiqui Patres ejus non meminerunt, ergo. R. SS. PP. illum nomine Jeremiæ comprehendisse, ut vide est apud S. Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. c. 7.

Septimo: Danielem Prophetam mutilant tribus capitibus. I. capite decimo tertio, quia Chronologia non cohæret, ergo. II. decimo quarto, quia sexto capiti contrariatur, ergo. III. Aliqua parte capitulis tertii, quia non fuit in hebræo, ergo. Nituntur autem Authoritate S. Hieronymi in præfat. ad Danielem, ubi fabulas vocat, ergo. R. ad I. historiam Susannæ non accidisse sub Cyro, sed multo anté sub quartum annum a migratione Judæorum in Babylonem, cum Daniel adhuc esset junior, unde per saltum fit transitus ad aliam hi-

storiam gestam multo post Cyrum, qui Danielem utpote jam senem nunquam vocavit puerum. Videri potest Cornelius a Lapide in hunc locum. Ad II. dico : nullam esse repugnantiam, quia de diversis rebus loquuntur : siquidem Daniel bis fuit in lacum leonum missus, prius una nocte, postea sex noctibus. Ad III. R. fuisse in hebræo, ut sat innuunt ipse stylus græcus, & latinus, qui hebraismum sapiunt. S. Hieronymus nihil huic rei præjudicat. Fabula quippe ipsi non est res facta vel falsa, sed quæ fando passim usurpatur : neque loquitur S. Hieronymus ex propria mente, sed ex opinione quorundam Judæorum, ut se explicat Apol. 2da.

Octavo : Rejiciunt *Libros Machabæorum*; dicunt enim I. hi libri in Canone Judæorum non existant ergo. II. lib. 1. c. 15. v. 16. dicitur : uni commissum fuisse regimen Romæ his verbis : *Lucius Consul Romanorum Ptolomæo Regi salutem*. Cum tamen constet ex historicis duos semper fuisse Consules, ergo. III. hi libri continent contradictionia circa mortem Regis Antiochi, qui semel dicitur frustillatum dissectus, semel mærore magno & tristitia mortuus lib. 1. c. 6. ergo. IV. similis discordantia est circa tempus Judæ Machabæi ; dicitur enim Epistolam exarasse ad Regem Græcorum anno 188. lib. 2. c. 1. v. 10. mortuus autem anno 152, ergo. V. lib. 2. c. 14. laudatur Razias sui interactor, sed hoc est magnum absurdum, ergo. VI. author librorum Machabæorum expresse rogat veniam erratorum, ergo. R. ad I. quamvis Judæi libros Machabæorum non habeant pro Canonicis, Ecclesiam tamen DEI pro talibus habere, ut ait S. P. August. lib. 2. cont. Epist. Gaudentii c 23. quæ Ecclesia non minorem habet Authoritatem declarandi libros canonicos, quam olim habuit Synagoga. Ad II. R. sermonem esse de Magistratu auctu imperante, qui semper unicus fuit apud Romanos, etenim duo Consules alternis vicibus imperabant, quilibet uno semestri, aut forsitan sermo est de ipso Dictatore, qui semper unicus fuit. Ad III. dico qui bene distinguit, bene docet, & bene facit, male vero AA. qui non distinguunt inter Antiochum Epiphanem, & Antiochum Demetrii magni filium : duo igitur fuere Antiochi, unus dictus Epiphanes, qui partim lapsu & viscerum dolore, partim mærore extinctus est, alter Demetrii filius, qui frustillatum dissectus fuit. Ad IV. R. similiter duos fuisse Judas, unus erat Machabæus mortuus anno 152: alius vero secta Essenus, Prophetiæ dono inclitus: hic ergo vir magnæ authoritatis & Religionis Epistolam il-

Iam scripsit post obitum Judæ Machabæi anno 188. Ad V. Razias non laudatur simpliciter, sed secundum quid, tanquam generosus vitæ contemptor, quamvis quoad modum laudandus non sit. Ad VI. dico Authorem lib. Machab. petere veniam erratorum quoad stylum, & verba minus compta, non autem quoad veritatem; nam Spiritus S. Scriptorem S. Scripturæ quoad veritatem ita dirigit, ut errare non possit: quoad verba autem & modum scribendi se cujusque capacitati & indoli naturali accommodat. Atque hæc de libris V. T. brevitatis causa dicta sufficient.

Nono: ex Novo Testamento rejiciunt Epistolam S. Pauli ad Hebræos. Ratio eorum est I. stylus hujus Epistolæ cæteris D. Pauli Epistolis non respondet, ergo. II. cap. 6. v. 4. negat pænitentibus veniam, dicit enim: *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi rursus, renovari ad pænitentiam*: ergo. III hæc Epistola contradicit aliis ejusdem Apostoli Epistolis: nam c. 2. v. 3. insinuatur, Paulum didicisse fidem ab hominibus, quod negat ad Galatas c. 1. v. 12: ergo. IV. cap. 9. v. 4. dicit: urnam Mannæ, & virgam Moysis fuisse in arca positas, cum ex 3<sup>to</sup> Reg. c. 8. v. 9. constet solas Tabulas fuisse in Arca: ergo. R. Epistolam ad Hebræos esse D. Pauli, definivit Conc. Carthag. 3. Can. 47. Trident. Sess. 6. &c. Accedit communis PP. tam Græcorum quam Latinorum consensus apud Bellar. loco cit. Sed & Petrus idein insinuat 2. Pet. c. 3. v. 15. cum ad eosdem Hebræos per Asiam dispersos ait: *charissimus noster Paulus scripsit Vobis*; at, quam Epistolam scripsit Paulus Hebræis, si non istam? dico ergo ad I. non esse mirum, quod stylus sit diversus, etenim priores græce, ista hebraice fuit scripta: linguae autem diversæ stylum, ac dicendi genus habent diversum. Ad II. To *impossibile sumi* pro valde difficulti, & moraliter impossibili, etenim Apostatæ a fide difficillime convertuntur, prout experientia docet. Ad III. Paulam ad Galatas loqui in persona propria, ad Hebræos vero more concionatorum in communi fidelium persona. Ad IV. dico præpositio- nem *In summi pro juxta, sicuti Christus scribitur in Jerusalem passus;* quare erant quidem in Arca solæ Tabulæ Moysis, at juxta illam Urna Mannæ, & virga Moysis.

Decimo debachantur in Epistolam S. Jacobi, quam Lutherus stramineam appellat. Hæc Epistola, inquit, tota est in commendandis bonis operibus, & fide deprimenda, quam Paulus adeo extulit, ergo.

R. Jacobum non contrariari Paulο, sed ejus dicta de fide explicare nempe quod fides sit quidem origo justitiae, sed sola sine operibus non sufficiat ad justificationem & salutem.

Undecimo : eliminant Epistolam Judæ, quia vers. 14. allegat librum Enoch, quem ipse Gelasius Papa c. 13. dist. 15. apocryphis annumerat : ergo R. Judam non allegare librum Enoch, sed verba illius, quæ poterant viva voce fuisse tradita, per traditionem conservata, & pervenisse ad Judam ; non enim dicit Judas Apost. scriptit autem Enoch dicens ; sed ait : *prophetavit autem Enoch dicens : ecce venit Dominus.* Unde liber ille a Gelasio rejectus poterat esse Spiritus, & non Enochī.

Ultimo tandem impugnat Apocalypsim Lutherus dicens : Apocalypsis non est æqualis authoritatis cum reliquis libris sacris, ergo A. prob. c. 1. v. 3. & c. 2. v. 7. dicitur *beatus qui custodit verba prophœtie hujus*, atqui ex hoc sequitur neminem futurum beatum, quia nemo librum hunc intelligit, ergo R. neminem quidem præcise quoad omnia librum hunc intelligere, non tamen quoad præcipuum scopum, & intentum ; quamvis enim multa vaticinia sint obscurissima, & humanitus quoad omnia perfecte non intelligibilia, tamen multa sunt præcepta vitæ clarissima, ut de constantia in persecutionibus, de fugiendis Pseudo-prophetis &c. Scopus autem totius libri, ut bene notat Bellarminus nullus alias est, quam ut fideles hortetur ad perseverantiam, quæ res est clarissima. Ex his

Colliges AA. allegare quidem adductas rationes scilicet non causam pro causa, quare prædictos libros a Canone rejiciant : attamen causa genuina, quare primo *Tobiae* librum repudient, est, quia in hoc libro laudantur bona opera, quibus Tobias deditus erat, quod in captivitate viam virtutis non deseruerit, quod omnia, quæ habere poterat, concaptivis fratribus impertitus sit, quod omnia primitia sua, & decimas obtulerit, quod hæc & his similia secundum legem DEI sui adhuc puerulus observaverit. Dicunt autem Protestantes : præcepta DEI servari non posse, nec deberi, quæ tamen Tobias adhuc puerulus observare potuit; item c. 4. commendat filio Eleemosynam, & alia opera bona multa, quæ tamen explodunt AA. & v. 18. monet filium : *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi* ( id est, qui in gratia decepsit ) constitue : unde colligitur etiam pro defunctis esse orandum, hoc autem quia AA. rejiciunt,

ciunt, totum librum rejiciunt. 2do. Causa vere talis, quare librum Judith eliminant, est: quia cap. 4. dicuntur filii Israel hortatu Elachim Sacerdotis sese oratione humiliasse. & jejunis afflixisse, auxiliumque his mediis a Domino implorasse, cum tamen jejunia, & hujusmodi mortificationis actus rideant Novatores. Deinde c. 8. hortatur Judith, ut DEum pro se precentur ad impetrandum felicem exitum intentionis suæ, quæ & felicem exitum sortita est, & Judith sese affligens, & humilians c. 9. v. 1. pro populi liberazione prostrata precatur, & tamen has pro invicem precatioes rejiciunt AA. ne hoc admissio admittere etiam cogantur orationes & intercessiones Sanctorum prodesse, si etiam homo pro homine intercedere, & orare potest apud DEum, quod argumentum, quia solvere non possunt, hinc non placet illis liber Judith.

Tertio: Causa, quare Lutherus non tantum septem ultima capita libri Esther, sed etiam totum librum ex Catalogo sacrorum librorum excludendum afferat dicens: lib. de servo arbitrio Tom. 2. Wittenb. fol. 474. Esther libellum in Canone Judæi habent, digniorum omnibus me judice, qui extra Canonem habeatur. Causa, inquam, non est alia, quam quia cap. 4. Esther (ut Judæorum neci occurseret, & non vocata ad Regem, tamen feliciter ingredi posset) jubet cum jejunio pro se triduo orari, idem ipsa faciente cum suo Gynæzæo, cum tamen AA. jejunia rideant, & abrogent, nec velint Sanctos, & amicos DEI orare pro suis clientibus. Quarto. Eliminant librum Sapientiæ, quia cap. 1. habetur non DEum esse causam perditionis hominum, sed ipsum hominem, hoc autem est contra AA, qui faciunt DEum Authorem peccati, & damnationis. Item cap. 4. laudat castitatem, & tamen castitatis votum damnant AA. Item cap. 9. cum agnitione propriæ imbellicitatis orat, & orandum esse dicit pro impetranda a DEO Sapientia, & tamen AA. putant & jactant sibi omnia arcana legis clara esse, & omnia profunda DEI &c. Similiter discurrendum de reliquis libris.

Quanquam hanc quæstionem plures aliæ v. g. de Versione S. Scripturæ, ejusque puritate, de legitimo ejusdem sensu &c. immediate subsequi deberent, quia tamen præcedentes duæ quæstiones magna ex parte dependent ab existentia Traditionum, seu Verbi DEI non scripti stabilitate: hinc interim a reliquo brevitatis causa super-

sedemus, alio tempore easdem expensuri, & ad adstruendam Verbi non scripti existentiam contra Protestantes nos accingimus, si igitur

## Quæstio tertia.

*An præter Verbum DEI scriptum etiam admittendum sit non scriptum, seu an præter Scripturam sacram admittendæ sint Traditiones?*

**P**Rænotandum: Verbum DEI non scriptum seu Traditionem rigorose sumptam esse aliquam doctrinam ad Religionem pertinentem non scriptam, sed viva voce acceptam, & continua successione perpetuata firmatam, & quasi de manu ad manum traditam: dicitur autem non scripta, non ex eo fine, quasi nullibi scripta esset, sed solum, quod non sit scriptis consignata à primo suo authore. Traditionem ita acceptam nos Catholici ex parte causæ efficientis tririam dividimus, alia enim est Divina, alia Apostolica, alia Ecclesiastica: Divina est, quæ à DEO Patriarchis, vel à Christo DEO homine Apostolis fuit tradita, nec tamen in Scripturis invenitur expressa: tales sunt, quæ ad materias & formas Sacramentorum pertinent, utpote de quibus pauca habemus in Scriptura, & tamen indubitatum est materias & formas Sacramentorum nonnisi à Christo potuisse institui. Apostolica est, quæ ab Apostolis quidem originem dicit, non tamen sine speciali instinctu Spiritus S. neque in eorum Scriptis reperitur: uti sunt jejunium Quadragesimale, & Quatuor temporum, Baptismus Parvulorum &c. Ecclesiastica est, quæ post tempora Apostolorum ab Ecclesia seu Successoribus Apostolorum fuit tradita, & a fidelibus usu recepta, uti formatio S. Crucis in fronte, aspersio aquæ lustralis &c. Accidit tamen subinde, ut quævis Traditio in Ecclesia recepta nuncupetur Ecclesiastica, quamvis habeat Authorem Christum, aut Apostolos, sicut etiam Traditio Divina quandoque vocatur Apostolica, utpote per Apostolos Ecclesiæ promulgata, & econtra Traditio Apostolica etiam nominatur Divina quia non sine speciali instinctu Spiritus S. ab Apostolis instituta fuit.

Ex his Traditionibus aliæ dicuntur dogmaticæ, uti sunt Mysterium SSS. Triados, consistens in tribus Personis realiter distinctis, & uni-

& unica natura realiter indistincta a Personis. Consubstantialitas Fili-  
li & Spiritus S. cum Patre : perpetua Virginitas B. V. M. &c. Aliæ  
sunt morales seu rituales, uti sunt celebratio Paschatis &c. Aliæ  
temporales, quæ ad tempus tantum sunt institutæ, uti est abstinen-  
tia a Sanguine, & suffocato, trina immersio in Baptismo &c. Aliæ  
perpetuæ, quæ institutæ sunt ut perpetuo durarent v. g. Baptismus  
parvorum, validitas Baptisimi ab hæreticis collati &c. Aliæ univer-  
sales, aliæ particulares &c. De his igitur Traditionibus accerrime  
Catholicos inter, & Protestantes controvertitur, non quidem quoad  
earum authoritatem, quia certum est, quod si tales traditiones dentur,  
eandem habeant Authoritatem a suis Authoribus, quam habet Verbum  
DEI scriptum, vel Scripta Apostolorum, vel decreta Ecclesiæ; sicut  
lex principis politici æqualem sortitur Authoritatem, sive scripto pro-  
mulgetur, sive ore tradatur aliquibus, qui exinde eam cæteris pro-  
mulgent, sed controversia est quoad earum existentiam, seu an den-  
tur, aut etiam plane necessario præter Verbum DEI scriptum sint ad-  
mittendæ? Negant Protestantes communiter, & evincere conantur  
omnia credenda contineri in Scripturis, nihilque esse fide Divina  
amplectendum, quod ex Scriptura S. ostendi nequeat, adeoque  
nullas traditiones uti pote superfluas esse admittendas. Verum con-  
tra hos omnes cum unanimi Catholicorum.

Respondeo: Præter Verbum DEI scriptum etiam admittendum  
est non scriptum, seu Traditiones tam Divinæ, quam Apostolicæ,  
& istæ parem cum Scriptura sacra habent Authoritatem. Ita  
Concil Trid. Sess. 4.

Prob. 1mo. ex Scriptura S. & quidem ex veteri Testamento:  
Deuteron. 32. v. 7. dicitur: memento dierum antiquorum, cogita  
generationes singulas, interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi,  
majores tuos, & dicent tibi. Item Psal. 43. v. 1. dicitur: Deus au-  
ribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis, ergo  
jam ex veteri testamento constat existentia Traditionum. Prob. etiam  
ex N. T. Joan. 21. v. 25. dicitur: sunt autem & alia multa, quæ fe-  
cit JESUS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum  
capere posse eos, qui scribendi sunt libros, ergo certum est multa  
fuisse a Domino dicta, & gesta, quæ scripta non sunt, sed tradita  
fuerunt. Item 1. Cor. 11. v. 2. scribit Apostolus: laudo autem vos  
fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præ-  
cepta

cepta tenetis, ergo. Item loco cit. v. 23. ait: ego enim accepi  
Domino, quod & tradidi vobis, ergo. Tandem 2. Thess. 2. v. 14.  
ait: itaque Fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, sive  
per sermonem, sive per Epistolam nostram, ergo dantur Traditiones  
præter Scripturam.

Prob. 2do. ex PP. S. Irenæus lib. 3. c. 4. ait: quid autem, si  
neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat  
ordinem sequi Traditionis, quam crediderant iis, quibus committe-  
bant Ecclesias. S. Basilius lib. de Spiritu S. c. 27 hæc habet: Dog-  
mata, quæ in Ecclesia servantur, & prædicantur, quædam habe-  
mus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Tra-  
ditione, ergo. Item S. P. Augustinus lib. 10. de genesi ad litteram  
c. 23. ita habet: consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvul-  
lis nequaquam spernenda, neque ullo modo superflua deputanda, nec  
omnino credenda est, nisi Apostolica esset Traditione, ergo.

Probatur 3tio. Ratione. Multa sunt fide Divina credenda,  
quæ tamen in Scriptura S. non sunt expressa, uti sunt realis Distin-  
ctio Personarum Divinarum in una Deitate contra Sabellium: con-  
substantialitas Filii contra Arium, Processio Spiritus S. a Patre &  
Filio contra Macedonium. Una Persona in Christo contra Nestorium.  
Duplex natura in eodem contra Eutychen. Perpetua Virginitas B.  
V. M. contra Helvidium. Baptismus parvulorum validus contra  
Anabaptistas &c., quæ & similia plura non habemus aliunde, quam  
ex Traditione Divina, & Apostolica, ergo. 2do. Ecclesia non tan-  
tum in lege veteri per duo mille annorum stetit sine Verbo DEI  
scripto, sed etiam in lege nova per multos annos nullum habuit Ver-  
bum scriptum, sed gubernabatur meritis Traditionibus & prædicatio-  
nibus Apostolorum, ex quibus deinde aliqui, vel ad preces aliorum  
vel ob necessitatem exorientium hæresum Evangelium, aut Epistolas  
scriperunt, nec tamen omnes, sed reliqui concorditas sibi Provin-  
cias prædicando, & instituendo suos discipulos regebant sine Verbo  
DEI scripto, ergo. 3tio. certum est tum apud Catholicos tum  
apud Protestantes dari aliquam Scripturam S. certum librorum sacro-  
rum Canonem, & verum illius sensum, atqui ista non possunt pro-  
bari ex Scriptura alias redit quæstio, ut jam supra ostensum est,  
ergo cum ista nihilominus fide Divina credere teneamur, & fides  
Divina innitatur Verbo DEI, istud autem pro præsenti non reperi-  
tur

tur scriptum, necessario admittendum est non scriptum, seu traditum, aut certe secus nobis nulla erit fides.

Objic. I. ex S. Scriptura. Deuter. 4. v. 2. dicitur: *non additis ad verbum quod vobis loquor*, atqui Traditiones addunt, ergo. II. ibid. cap. 12. v. 32. dicitur: *quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas*, ergo sola lex scripta est observanda. III. Math. 15. v. 6. redarguit Christus Phariseos propter Traditiones eorum inquiens: *irritum fecistis mandatum DEI propter Traditionem vestram*. Et Apostolus Coloss. 2. v. 8. monet, ne quis eos decipiatur secundum Traditionem hominum, ergo. IV. Joan. c. 20. v. 30. multa quidem alia signa fecit JESUS, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in Nominе ejus, ergo si Scripta sufficiunt ad vitam æternam, frustra quæruntur alia. V. Gal. c. 1. v. 8. licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit, atqui Traditio licet etiam non esset contra, tamen est præter id, ergo. VI. 2. Tim. 3. ab infantia S. Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo, omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est - - ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus, ergo Traditiones superfluunt. Omitto brevitatis causa plura alia S. Scripturæ testimonia, quæ AA. adducere solent, tum ex Veteri, tum ex Novo Testamento, quæ apud alios videri possunt.

Respondeo ergo ad I. genuinum illorum Verborum sensum esse: omnia præcepta cærimonialia, & judicialia integre & perfecte a Judæis esse observanda non addendo vel auferendo aliquid in eorum observatione, vel certe sensus est: ut præcepta Mosaica non corrumpantur, aliquid fallaciter & ficticie Verbo DEI addendo tanquam partem illius; non autem prohibet addere aliud verbum DEI, sive scriptum sive traditum, alias sequeretur rejiciendos esse omnes libros Canonicos scriptos post Deuteronomium. Ad II. Dico: ibi prohiberi, ne Judæi offerrent DEO Sacrificium more gentilium, immolando filios & filias suas, sed solum ex animalibus mundis, & juxta ritum illis præscriptum. Ad III. R. in his textibus non reprobari Traditiones Judæorum à Moysè & Prophetis derivatas, sed Traditiones Pharisæicas de non manducando nisi lotis manibus, de non sanando ægroto die Sabathi &c. Ad IV, Evang. in illo loco

tum loquitur de Christi miraculis; quæ sufficiunt ad confirmandam fidem, & persuadendum mundo Christum esse vere DEI Filium; hinc ait Joannes: multa quidem & alia signa fecit JESUS; unde inepte Protestantes, quæ de solis miraculis dixerat Joannes, transferunt ad omnia fidei dogmata, morumque præcepta. Præterea ibi Joannes loquitur solum de suis scriptis, adeoque si illa sufficerent, sequeretur omnes reliquas Scripturas esse superfluas. Ad V. Paulus ibi Anathema dicit falsis Doctoribus, qui decebant præter fidem in Christum requiri etiam circumcisionem, & observantiam legum Mosaicarum. Unde To Præter significat ibi idem, quod contra, prout sæpe apud Authores tum sacros, tum profanos usurpat. Jam contra Doctrinam Pauli nihil docere licet, bene tamen præter, quia Paulus in suis Epistolis non omnem doctrinam Christianam complexus est. Præterea infero ex illo texu, ergo Protestantes sunt anathema, siquidem evangelizant aliquid non tantum præter, sed & contra id, quod evangelizavit Apostolus jubens tenendas esse Traditiones, quas illi rejiciunt. Ad VI. etiam nos Catholici profitemur Scripturam esse utilem, non tamen per se sufficientem, siquidem utile & sufficiens non sunt Synonima, uti urget Kemnitius; sic sol est utilis ad producendum vivens, non tamen per se sufficiens. Pro reliquis textibus adducendis ab AA. observa: S. Scripturam rejicere, & reprehendere Traditiones mere humanas repugnantes mandatis DEI, fidei Christianæ, & Catholicæ, bonisque moribus. Item Traditiones vanas Phariseorum, non autem Divinas, Apostolicas, ab Ecclesia propositas, & approbatas.

Objic. 2do. ex PP. I. S. Basilius in Ser. de Fidei Confess. ait: infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non scripta introducere; ergo. II. S. Athanasius lib. contra Gentes sub initium: sufficiunt sanctæ & divinitus inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis: ergo. III. Tertull. lib. 22. cont. Hermogenem: adoro plenitudinem Scripturæ, ergo præter Scripturam nihil aliud admisit ut dogma fidei. IV. S. Chrysostomus: quidquid queritur ad salutem, totum jam impletum est in Scripturis, ergo. V. S. Hieronymus in Aggæum Prophetam c. 1. ait: quæ absque autoritate & testimonio Scripturæ, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque configunt, percudit gladius DEI, ergo. VI. S. P. Augu-

Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. c. 9. ait: *in his quæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ pertinent ad fidem, moresque vivendi, ergo Traditiones superfluant.*

Respondeo 1mo. generatim ad has & similes SS. PP. (quæ plurimæ adduci possunt) Authoritates: si SS. PP. videantur asserere, omnia ad fidem & mores pertinentia contineri in Scripturis; vel intelligendi sunt primo, quod omnia in iis contineantur generatim, confuse, mediate, & consecutive, quatenus nimirum ipsæ SS. litteræ approbant traditiones, & nos ad audiendam Ecclesiam hortantur. Vel secundo intelligendi sunt de iis tantum rebus, de quibus ipsi particulariter disputabant cum hæreticis, quibus, quia nihil nisi Scripturam admittere contendebant, sese accommodabant, etiam ex sola Scriptura argumentantes ad hominem. Vel Tertio loquuntur de Scripturis rite intellectis, quæ tamen rite intelligi non possunt sine Traditione, vel Declaratione Ecclesiæ. Vel quarto intelligendi sunt, quod solum contra, non vero præter vel extra Scripturam nihil admittendum sit. Hinc

Respondeo 2do. speciatim, & quidem ad I. S. Basilium tantum intendere non esse rejiciendas Scripturas Canonicas, quia verissimæ sunt ex Authoritate Divina, cum dictatæ fuerint à Spiritu S., ejusque instinctu Divino Scriptæ, neque esse introducenda non scripta supposititia, quæque Authorem non habent Spiritum S., & quæ opponuntur S. Scripturis. Ad II. dico in originali S. Athanasii non reperiri illam particulam *omnem*, proinde studio à Sectariis adjecta videtur, ut inde occasionem arriperent excludendi Traditiones: & licet Divinitus inspiratæ Scripturæ utiles sint ad instructionem Veritatis, non tamen sequitur, quod Traditiones ad eundem finem non conducant. Ad III. Tertulianum adorare plenitudinem Scripturæ non quoad omnia dogmata in specie, sed quoad illud, quod propugnabat adversus Hermogenem, scilicet Deum creasse mundum ex nihilo, & non ex præjacente materia produxisse, ut dicebat Hermogenes contra hæc apertissima Scripturæ verba, *in principio creavit Deus cælum & terram.* Ad IV. R. S. Chrysostomum loqui de vitiis, ad quæ sananda asserit in Scripturis inveniri remedia, consequenter loquitur de materia particulari. Insuper non dicit hæc remedia pro omnibus vitiis clare reperiri in Scripturis. Ad V. R. S. Hieronymum ibi agere contra eos, qui ex perversa sua voluntate

Traditiones confingebant , & videri volunt suum figmentum Apostolicam esse Traditionem. Ad VI. R. hunc textum intelligendum est de omnibus, quæ ab unoquoque Christiano sunt explicite credenda, & quæ ad morum præcepta in genere pertinent ; qualia sunt præcepta fidei , spei , & charitatis , non vero de omnibus omnino credendis implicite ab unoquoque , explicite vero à Doctoribus , & Pastoribus , nec de singulis præceptis in specie , alias sibi aperte tradiceret S.. P, August. dum lib. 5. de Baptismo c. 23. scribit : sunt multa , quæ universa tenet Ecclesia , & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur , quamquam scripta non reperiantur,

Objic. 3<sup>io</sup> Ratione I. S. Scriptura est unica norma , & regula omnium credendorum , & faciendorum , ergo superfluunt Traditiones. II. Traditiones sunt verba hominum scilicet PP. Pontificum &c. qui sunt meri homines , ergo non sunt Verbum DEI , nec habent Authoritatem infallibilem , & parem cum Scripturis. III. Traditiones inducunt vilipensionem Scripturæ S. cui à Catholicis in Authoritate æquiparantur , ergo. IV. Impossibile videtur Traditiones non Scriptas potuisse tamdiu puras conservari partim propter oblicationem : partim propter negligentiam , partim propter malitiam hominum , ergo. V. Per receptionem Traditionum aperitur porta multa configendi & introducendi in Ecclesiam aliena à fide : sic nullus esset liber apocryphus in Ecclesia admissus pro Scriptura , nisi Authoritas Traditionum illi viam fecisset. Imo multi de facto per Traditionem decepti sunt , uti Papias , qui ex Traditione docuit regnum Christi post resurrectionem futurum mille annis in terris &c. ergo. VI. Multæ Traditiones , quas Papistæ contendunt esse de fide non habent fundamentum in Scriptura , ergo. VII. Absurdum est dicere , quod Scriptura habeat existentiam a Traditione , ergo. VIII. Quæ non sunt scripta non habent authoritatem , ergo.

Respondeo ad I. N. A. quod falsissimum esse ex eo constat , cum nec de ipsius Scripturæ existentia , puritate , & genuino sensu , nec de aliis mysteriis fidei , videlicet SS. Trinitatis , Processione , & Divinitate Spiritus S. &c. ex sola Scriptura nobis constet , quia hæc in illa nec explicite continentur , nec per pronam , & legitimam consequentiam clare deducuntur. Scriptura ergo , postquam semel de illa , & illius genuino sensu ( quod tamen sine Verbo Dei non scripto fieri nequit ) infallibiliter constiterit , est quidem norma , &

& regula credendorum infallibilis, sed partialis tantum, & inadæ-  
quata, ita ut cum Verbo Dei non scripto, tanquam norma pariter,  
& regula inadæquata faciat adæquataam & integratam: neque ex hoc  
quod non contineat omnia credenda, potest dici manca, & imper-  
fecta: sicut enim homo non dicitur imperfectus, eo quod non ha-  
beat alas, quia Deus noluit hominem habere alas, ita nec Scriptura  
dicenda est imperfecta, licet non omnia necessario credenda, & fa-  
cienda contineat, eo quod Deus non omnia nobis innotescere volue-  
rit per Scripturam, sed multa per Ecclesiam, & per Verbum non  
scriptum. Ad II. R. D. A. Traditiones sunt verba hominum in-  
strumentaliter, hoc est per homines pronuntiatum, custoditum, &  
ad nos tanquam per Instrumenta translatum C. A. sunt verba homi-  
num principaliter & originaliter: hoc est, non habent Deum pro  
authore principali, aut sine revelatione & directione Divina propo-  
nuntur N. A. & C. sicut enim scriptura etiam juxta AA. tantum in-  
strumentaliter provenit ab hominibus, principaliter autem à Deo per  
Scripturam nobis loquente, ita & Traditiones. Ad III. N. A. nam  
nos Catholici summo in honore habemus S. Scripturam, solumque  
propugnamus illam solam ad fidem esse insufficieniem, idque non  
aliunde nisi ex beneplacito Divino, quod autem Traditionibus æqua-  
lem cum Scriptura S. prærogativam attribuamus AA. nobis imme-  
rito improperant, siquidem etiam sunt Verbum à Deo prolatum.  
Licet non sint Verbum scriptum. Ad IV. D. A. nisi Deus specialemp-  
curam earum habuisset C. A. secus N. A. & C. hoc enim spectat ad  
Divinam providentiam, quæ sicut per tot annos ab erroribus con-  
tra fidem & bonos mores incorruptum conservavit Verbum Dei  
scriptum, ita & non scriptum, quemadmodum etiam per his mille  
annos conservatum est in lege naturæ, quin imo in lege nova faci-  
lius potest conservari, quia scribi consuevit in libris Ecclesiasticis,  
& custodiri continuo usu, ac defensione contra Hæreticos. Ad V.  
Sicut propterea non sunt rejiciendæ Scripturæ S. quod aliquando Bi-  
blii complures libri spurii sub nomine Apostolorum inserti fuerint,  
quibus nonnulli decepti fuerunt, ita pariformiter siac de causa non  
sunt rejiciendæ veræ Traditiones, quod aliquando ipsis aliquæ falsæ  
& adulterinæ admixtæ fuerunt. Et licet forte nullus daretur liber  
Apocryphus, si non admissa fuisset Traditio, attamen etiam nullus  
daretur liber Canonicus, cum ex sola Traditione Canonem Libro-

rum Sacrorum, & legitimum sensum eorum probare possimus. Ad VI. N. A. omnes enim Traditiones ab Ecclesia receptæ continentur in Scriptura generatim & in universalis, quatenus jubet & præcipit nobis tenere Traditiones acceptas sive per Epistolam, sive per sermonem, & in omnibus audire Ecclesiam, quamvis non contineantur in particulari nec debeant ita contineri. Ad VII. D. A. à Traditione tanquam motivo formali C. A. tanquam regula infallibili declarante per acceptationem Ecclesiæ, quæ scriptura sit verum Verbum DEI N. A. & C. Ad VIII. D. M. quæ non sunt scripta, si sunt pure Traditiones humanæ à privato Doctore assertæ, aut aliqua consuetudo particularis, vel superstitiosa C. M. tanquam Traditio ab universalis Ecclesia recepta, & declarata pro Verbo Dei non scripto N. M. Ex his

Colliges: nos certificari de hoc quænam Traditiones sint Divinæ & Apostolicæ per communem consensum, Authoritatem, vel Declarationem Ecclesiæ Catholicæ, quæ propter promissam sibi Spiritus S. assistentiam circa res fidei & morum errare non potest. Unde quando Ecclesia universalis tenet aliquid tanquam de fide, quod non reperitur in S. Scriptura, vel servat aliquid non Scriptum in S. Scriptura, quod à solo Deo potuit constitui, v. g. Baptismum infantum esse legitimum, matrimonium ratum dissolvi per professionem Religiosam &c., tunc id habetur per Traditionem Divinam, quando autem aliquid observatur ab universa Ecclesia, quod institui potuit ab Apostolis, nec scitur institutionis initium, ut jejunium Quadragesimale, quatuor temporum &c., habetur per Traditionem Apostolicam, quando denique est aliquid introductum per Ecclesiam, ut quod signum crucis sit formandum in fronte, quod in certis Vigiliis sit jejunandum, festa aliqua celebranda &c. habetur per Traditionem Ecclesiasticam.

Et hæc interim de Verbo Dei scripto, & non scripto compendiose dicta sufficiant, cedantque ad Majorem DEI gloriam, Beatisimæ V. Mariæ honorem, cunctaque sint S. Romanæ Catholicæ Ecclesiæ judicio subjecta.



CONCLUSIONES  
THEOLOGICÆ  
DOGMATICO - SPECULATIVÆ  
DE  
INCARNATIONE VERBI.  
GRATIA SALVATORIS.  
JUSTIFICATIONE IMPII  
ET  
MERITO JUSTI.

I.

**I**NANIS est Judæorum expectatio de adventu Messiae, hunc enim antiquis Patriarchis, & Prophetis promissum jam dudum in carne venisse invicte ostenditur, ex celeberrimo Vaticinio Jacobi Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore ejus, donec veniat qui mittendus est &c.*

II.

Incarnatio non solum fuit conveniens, sed etiam ex suppositione condignæ satisfactionis pro peccato mortifero Adæ simpliciter necessaria.

III.

### III.

Christum tamen vi præsentis Decreti non fuisse venturum Adamo non peccante, conformius est S. Scriptura & menti SS. Patrum.

### IV.

Etsi Incarnatio opus sit totius SS. Trinitatis, sola tamen Persona Filii, non autem Persona Patris & Spiritus S. simul incarnata est contra Patripassianos.

### V.

Unica duntaxat contra Nestorium in Christo admittenda est Persona, & B. Virgo MARIA Θεοτόκος seu Deipara est appellanda.

### VI.

Duas tamen in Christo esse naturas post unionem impermixtas contra Eutychianos statuimus.

### VII.

Verbum Divinum non æthereum, non phantasticum, & apparens, sed verum & reale corpus assumpsit contra Phantasiastas. Habuit & veram animam rationalem cum omnibus eius proprietatibus, nec Verbum illi fuit loco animæ.

### VIII.

Duplicem quoque in eodem statuimus voluntatem, & operationem contra Monothelitas, à quorum tamen erro  
neo

neo dogmate Honorium summum Pontificem immunem  
fuisse asserimus.

## IX.

Christus Dominus in omnibus suis actionibus fuit li-  
berrimus, & ab intrinseco impeccabilis, hæc autem libertas  
stante rigoroso præcepto Patris de subeunda Morte cum eius  
impeccabilitate optime conciliatur per hoc, quod potuerit  
non mori negative.

## X.

Meruit quoque sua morte, aliisque actionibus, tum  
sibi, tum aliis, sibi quidem gloriam Corporis redivivi, Ex-  
altationem Nominis &c. aliis vero omnia Dona gratiæ, &  
gloriæ.

## XI.

Ad quodlibet opus salutare etiam ad initium Fidei ne-  
cessaria est gratia, contra Pelagianos, & Semipelagianos.

## XII.

Ad opus tamen moraliter bonum intra ordinem na-  
turæ non requiritur gratia Habitualis, nec gratia fidei, un-  
de non omnia opera peccatorum, aut infidelium sunt pec-  
cata.

## XIII.

Gratia Habitualis est Donum aliquod homini intrinse-  
cum, ac formalis & Physica naturæ Divinæ participatio.

## XIV.

## XIV.

Hæc ita expellit peccatum, ut repugnet utrumque in  
codem subiecto sociari.

## XV.

Justificatio impii non fit per solam imputationem Ju-  
stitiæ Christi, nec per extrinsecam peccatorum condonatio-  
nem, sed mediante gratia inhærente.

## XVI.

Per hanc peccata ita dimituntur, ut penitus auferan-  
tur, & deleantur contra Novatores.

## XVII.

Fides sola non justificat, sed & alii actus per se requi-  
runtur ad justificationem.

## XVIII.

Hujus fructus sunt Merita Justorum, qualia dari certum  
est contra Novatores.

## XIX.

Homo justus de condigno meretur vitam æternam.

## XX.

Nequit tamen ita mereri perseverantium finalēm.